

AETIA PHYSICA

onus acrius rursus instat? An molles et tenerae virgae
impetum non sustinentes, cum onus quiescit, paulatim
se erigunt, et speciem, quasi contra illud adsurgant,
praebent?

XXXIII.

5 Quare aqua de puteis hausta minus alit quam quae
de fonte aut caelo manat?

An quia frigidior magis sit et parum quoque aeris
habeat? An quod salis multum immixta sibi de terra
habeat; sal autem maciem, si quid aliud, facit? An
10 quod pigra nec cursu exercitata qualitatem aliquam ma-
lam adquirat, quae stirpibus et animantibus contraria,
in causa est quod nec bene concoquatur nec nutrire
quicquam possit? Hinc et stagnantes aquae minus pro-
bae censemur, quod iniurias quas vel ab aeris mala
15 qualitate vel a terra accipiunt, digerere nequeant.

XXXIV.

Cur Zephyrus ventorum omnium celerrimus vulgo
fertur, et Homerus (*T* 415) 'nos quoque cum Zephyri
curramus flatibus una'?

An quod aere perpurgato et minime nebuloso, flare
20 soleat? aeris enim densitas et impuritas ventorum
cursum non mediocriter impedit. An quod sol radiis
suis flatum frigidum perstringens, quo velocius feratur,
author est? Quicquid enim frigidi ventorum vi con-
trahitur, id a calore veluti hoste superatum, longius et
25 citius propelli credendum est.

XXXV.

Cur apes fumum ferre nequeunt?

Quod meatus spiritus vitalis sane quam angustos
habeant. At is fumo interceptus et conclusus angit et
propemodum ad mortem apes adigit. An acredo amari-
30 tudoque fumi in causa est? gaudent enim dulcibus apes